

Nf. 112.



IN NOMINE IESU CHRISTI,
omnis felicitatis ac divitiarum spiritualium Recuperatoris
inferniq̄ue Subactoris,

Ex

THEOLOGIAE EVANGELICAE

parte III. Dissertationem Primam,
Pericopæ Dom. I. post Trinitat.
partem priorem,

scil.

**INFELICEM DIVITIS
FELICITATEM,**

nec non

Locum inde erutum

De

**INFERNO SEU MORTE
ÆTERNA**

sistentem,

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO,

DN. IO. HENRICO MAIO,

S. S. Th. D. & Prof. Publ. Ord. longe celeberrimo, Ecclesiarum
Alsfeldensis & Marpurgo-Darmstadini districtus Superintendente vigilan-
tissimo, Assessore Consistorii gravissimo, Stipendiatorum
Ephoro & Pædagogiarcha meritissimo,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ac HOSPITE suo
omni venerationis cultu prosequendo,

Excell. Dn. Profefs. ac Clarifs. Dn. Commiliton. examini subijciet
in aroatorio Theologico

die XIII Augusti hora IX. antemer.

Anno M DCC XIV.

M. JOHANNES LEONHARDUS FROEREISEN,
ARGENTORATENSIS.

GIESSE, typis Joh. nis Mülleri.

P A R E N T I

^{suo}
O P T I M O

S. T.

D O M I N O

M. JOHANNI LEONHARDO
FROEREISENIO,

Ecclesiæ Nicolaitanæ apud Argentora-
tenses Pastori & Capituli Thomani
Canonico,

has

*studiorum apud exteros tractatorum
primitias*

in certissimum filialis obsequii testimonium
cum voto omnigenæ prosperitatis

dedicat

filius obsequiosissimus

M. JOH. LEONHARDUS FROEREISEN.

V I R O

Plurimum Reuerendo & Praecellent.

D O M I N O

M. IO. LEONHARDO
FROEREISENIO,

Pastori ad D. Nicol. & Canonico ad D. Thom. in Ecclesia Euan-
gel. Argentor. dignissimo & fidelissimo, DN. Fautori & Fratri

in CHRISTO honoratissimo,

S. P. D.

P R A E S E S.

CUm perdilectus Filius Tuus nuper admodum Vale vobis diceret, & Nos hic saluaret, eruditum studiorum suorum specimen *de Poenitentia DEI*, quod sub celeberrimi Theologi, DN. PFEFFINGERI, praesidio in Academia patria solenniter defendit; mihi obrulit: id vbi euolui, in fronte vidi Epistolam, a Maxime Reuerendo Praeside praefixam, qua *Tuae plur. Reuer. Dignitati* de egregiis primogeniti dotibus ex pectore gratulatus est. Existimabam eo tempore, Filium protinus Saxonicae Academiae visitatorum; sed cum visum placitumque ei fuisset, hic etiam aliquantisper commorari, praeter meam spem expectationemque accidit, vt non tantum meo hospirio & institutione in scrutandis Scripturis sacris vti vellet; verum etiam, vbi mensae accumbens ex me audiuit, vltimam *Theologiae Evangelicae* partem continuandam esse, vltro se Respondentem offerret. Vtendum itaque occasione & eudendum ratus, dum calet ferrum, operi me accinxi, ac gratulatus mihi ipsi sum, quod ex eo loco nactus fuerim discipulum, veritatis non minus quam sincerae pietatis studiosissimum, vbi ipse optimos habui doctores, *Schmidios, Bebelios*, aliosque, & Hebraicas litteras docui. Quia vero etiam siue carmine quodam, siue Epistola, pro recepto more, gratulatio vel praemittenda vel affigenda erat, recordatus litterarum, a laudatissimo D. PFEFFINGERO ad TE datarum, non potui non vestigia eius sequi, TIBIque, *Vir plurimum Reuerende*, ex animo gratulari de Filio optimo, qui studia non frigide sed feruide tractat, ac diuina adiutus gratia, eo enititur, vt celebritatem nominis *Froereiseniani* egregie tueatur, atque ad posteros laudabiliter propaget; ingenti Tuo cum gaudio & insigni Patriae emolumento. Quare, cum ita TE animatum esse sciam, vt cum Iohanne Presbytero dicas: *maius gaudium non habeo, quam vt audiam filios meos in veritate ambulare*; laetum hoc nuntium TIBI nunc significo, TEque rogo, vt fauorem amoremque

remque mihi serues, & data occasione *Theologos Excellentissimos, Pastoresque Vestros dignissimos*, officiosissime ac fraterne meo nomine salutem, eosque certos reddas, me, utpote ciuem quondam Vestrae Academiae, hucusque constantem memorem beneficiorum, quibus mihi frui quondam Argentorati licuit, optima quaeque vota vobis nuncupare, & precari, ut DEVS T. O. M. urbem pariter ac Academiam in puritate doctrinae Evangelii & sanctitate vitae tueri potentissime clementissimeque velit. Ita vale in DEO, Vir DEL. Deproper. Gieslæ Hallorum d. VII. Augusti A. O. R. MDCCXIII.

Viro Iuveni Clarissimo atque Doctissimo

DN. M. IOH. LEONHARDO FROEREISENIO,

Candidato SS. Theologiae meritissimo,

Fautori et Amico suo aestimatissimo,

S. P. D.

IOH. CHRISTIANVS LANGIVS, P. P. Ord.

Divitem infelicem, (*αὐτοκτον* illud veluti et *σὺνδοξυλον*, quod rerum nominumque perversa ratio aut aestimatio, iuxta cum pluribus aliis et similibus inter homines inuexit,) qui solennis in Disputationis argumentum, VIR IUVENIS CLARISSIME, producis: idem TV Divitem felicem nobis praebes exemplo TVO conspicuo et maxime laudabili; quo omnes TE agnoscunt iis divitiis et opibus instructum, quae aere quovis sunt perenniores, et veram, quae quidem homines sit digna, felicitatem pariter et opulentiam, consentiente vetusta Stoicorum porticus, constituunt. Hanc enim solam TIBI curae cordique esse; hanc TE et possidere, et tueri semper ac augere velle; norunt ii, quibuscum conversaris, quique in Ecclesiastica pariter ac Academica cathedra TE animi TVI sensa, in eoque reconditos thesauros proferentem prominentem sine audierunt, sine etiam nunc audient. De hac igitur opulenta felicitate, felicitique opulenta, Virtutis scilicet et Sapientiae, quam, Paternae auitaeque gloriae ex asse haeres, largis naturae gratiaequo donis, studisque indefessis TIBI partam consecutus es, habesque cum pietate Christiana, et Literaria eruditione prorsus egregia coniunctam, atque indies maiorem es consecuturus; ego, quem singulari TVO, etsi non aequo merentem, prosequeris amore, ex animo TIBI gratulor: DEVM vna precatus, ut auro quovis carior Argentina vestra plures TVI similes gignat semper foveatque, talesque, quod et antequam fecit, ad nostras porro Camenas mittat, inque publicae felicitatis commodum et incrementum felicissime recipiat! Vale, et, quod facis, mihi meisque studiis favere perge. Dabam in Academ. Ludoniciana, die VII. Augusti,

ann. M DCC XIV.

DOM. I. P. TRINITATIS.

Evangel. Luc. XVI. 19 -- 31.

Analysis atque Exegetis.



Sursum corda! veteres in Sacris suis exclamabant, & hac voce mortales ad caelestia meditanda & quaerenda graviter excitabant; Pauli forte exemplo Coloss. III. 1. 2. *Ubi enim thesaurus noster est, ibi et cor nostrum esse debet*, secundum effectum & mandatum Servatoris nostri O. M. Matth. VI. 21. Jam vero in caelo thesauros inexhaustos nobis esse repositos, omnes credimus, quotquot scimus, eos per Christum partos, caelesti vocatione oblatos, tandem ibi pleno cornu electis conferendos esse. Nil ergo nisi caelestia sperare & spirare oportet illos, quorum πολιτεύμα in caelis existit, Phil. III. 20. Licebit tamen forte haud abs re etiam exclamare: *deorsum corda!* Quo vero non id volo, quod in terram defigendi oculi animique, aut quaerenda sint τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, quum D. Paulus, in loco primum indicato, diserte hoc prohibeat; sed in ipsum infernum. Nam, quemadmodum cor in caelos elevatum, & in consideratione ac meditatione pia bonorum caelestium occupatum, non potest non rapi ad abnegationem omnium rerum mundanarum, utpote periturarum, & nocivarum, atque accendi ad desiderium & studium adipiscendi summum bonum: ita mortis aeternae ac cruciatuum malorumque ineffabilem, quae diaboli & damnati in inferno sustinent, meditatio jugis tantum terrorem incuteret omnibus, ut quomodo ea effugere possent, omnem inirent rationem. Verè enim dictum ab antiquis est: *hac mala qui pavet, cavet; qui negligit, incidit.* Et: *felix terror transitorius, qui timorem aeternum excludit.* Salutaris igitur est descensus averni, qui hic in tempore & mente devota fit, quum

Affidua gloriae caelestis & damnationis aeternae meditatio est necessaria & utilis.

A

non

non detrudat in infernum, sed ex inferno eruat. Utrumque sane Magister noster, Christus, in hodierno Evangelio haud obscure indigitavit, quando refutaturus pravam Phariseorum opinionem, qua felicitatem ex terrenarum opum affluentia aestimabant, & servatae probe à se legis divinae benedictionisque singularis argumentum esse è Lev. XXVI. 3. ff. perperam colligebant & ad se accommodabant, cum interea nec Mosen, nec vates reliquos ita audirent, ut iis obtemperarent, certamque futurae vitae beatæ spem haberent: infelices autem & impios illos judicabant, qui paupertate, ærumnis, morbis, & aliis id genus calamitatibus in hac vita premerentur, historia quadam, tum satis cognita, sermonibus tamen quibusdam allegoricis vel parabolicis vestita, declaravit, eos, quos felicissimos vulgus existimat & beatos prædicat, quando terrenis gaudent abundantique rebus, ac ad luxum & voluptates iis abutuntur, (Psal. CXLIV. 15.) infelicissimos esse, & in infernum descendere; contra vero illos, qui omnium infelicissimi, miserimi Deoque exosi hic habeantur vulgo, felicissimos ac in sinum Abraham tandem deportandos esse, ut in regno cælorum cum Patre credentium accumbant, & æternis bonis perfruantur. Ducit ergo CHRISTUS mentes nostras sursum & deorsum, in cælum & in infernum, ac vult, ut perpenſis probe utriusque status bonis & malis, de præſenti ac futura vel felicitate, vel infelicitate recte judicemus, idque operam demus, quo veros thesauros possideamus. Quarum rerum consideratio non impiis tantum prodest ac necessaria est, verum etiam piis; nam & hi sæpe offenduntur, quando vident impios in hac vita fortunatos & honoratos esse, vigere valereque ex animi sententia, nullis premi necessitatibus: seipſos autem quotidianas calamitates assiduaque perferre supplicia, quemadmodum Psal. LXXIII. proluxe ejusmodi tentationes leguntur. Eri-gunt enim rursus animos, si in Dei sanctuarium ingrediuntur, exitum impiorum infelicem contemplantur, ac intelligunt, non dignas esse hujus ævi perpeſſiones gloria posthac piis revelanda, Rom. VIII. 18. *Auscultemus itaque, monente Chryſoſtomo concione VI. de Lazaro, Tom. V. p. 15. diligenter his, que dicuntur. Nam ex hac narratione plurimum fructus nasci video tum divitibus, tum pauperibus, tum his, qui propter improborum felicitatem, tum illis, qui propter justorum inopiam & afflictionem conturbantur. Neque enim ulla res perinde solet hominum vulgus offendere ac perturbare, quam quod divites prave vi-*
ventes

ventes multa fruuntur prosperitate: contra iusti cum virtute vitam agentes, ad extremam rediguntur inopiam, aliaque perpetiuntur innumera, paupertate ipsa graviora. Verum hac parabola sufficit ad prestanda remedia. Paulo post divites pariter ac pauperes hortatur, ut hanc parabolam inscribant in parietibus & mente, semperque circumferant. Nam si hanc, inquit, jugiter inscriptam animo teneamus, neque hujus vita leta poterunt nos inflare, neque tristitia dejicere. Haud igitur abs re forte considerare ac meditari licebit, ducente ac docente Christo, hæc ex Evangelio paradoxa:

- I. Infelicem felicitatem divitis,
II. Felicem infelicitatem pauperis.

Propos. &
Partit.

Vel, si magis placet, den armen reichen / und den reichen armen Mann.

Deus, qui dives est misericordia, & Pater luminum, à quo omne bonum perfectumque munus desuper descendit, per Spiritum suum oculos pariter ac animos nostros sursum & deorsum, in cælum & in infernum convertat, ut finem semper respiciamus, τὸ ἀνω quæramus, & τὸ κάτω effugiamus, per Dominum nostrum, JESUM CHRISTUM, Amen.

TRACTATIO.

Quamquam parum interesse videatur, historiane sit, vel parabola, aut aliquid ex utraque mixtum, oratio illa, qua Christus usus hic est, ad redarguendos Phariseos, & ad docendum statum piorum & impiorum, in hac & futura vita, si scopus teneatur; tutius tamen est statuere, veram à Salvatore historiam proponi, quemadmodum multi ex Patribus, ut *Tertullianus, Irenæus, Origenes, Basilus, Cyprianus, Hieronymus, Augustinus*, alique, quorum loca diligenter indicavit & contra inficiatores urit *Francisc. Fevardentius* Annotat. ad Iren. L. IV. Cap. IV. & recentioribus Theologis nostris, ut *Luthernus, Brentius, Flacius, Hunnius, Glassius, Winckelmannus*, agnoverunt. Hi ipsi tamen authores non possunt negare, adjecta ad veram historiam de divite & paupere à CHRISTO esse, quæ instituto inserviebant probando de statu utriusque post hanc vitam, inde à vers. 23. usque ad finem, ubi eleganter hypotyposi quadam, ac per dialogismum extrema damnatorum miseria & infelicitas exprimitur,

tur. Vid. *Flacius* in *Glossa* compend. & *Erasm. Schmid.* Comment.
h. l. Nos scopi memores, expendemus

Pars I. in-
felix divitis
felicitas &
putativa,
(*) ratione
divitiarum.

I. *Infelicem divitis felicitatem.*

Felix quidem omni ex parte vir videbatur, si eo in statu spectatur, quem mundus magis aestimat, vehementer exoptat & desiderat. Erat enim I. *dives*. *Homo quidam erat dives*. Πλέσιος dicitur quasi πολὺ ἄσιος, cui multa substantia, amplum patrimonium, & bonorum ad vitam transigendam copia affluens erat. Quis fuerit, Christus non memorat. *Non dignatus est eum*, inquit *Chrysostomus Homil. de Lazaro & divite*, Tom. VI. Oper. p. 471. seq. nominis sui appellatione decorare, quemadmodum *Jobum justum*; sed hujus nomen silentio est suppressum: qui enim est infructuosus, etiam nomine suo privatur. *Justorum quippe nomina sunt in libro vite*; peccatorum autem nomina delebuntur. Tantum habebat natura commune nomen, homo, propriam autem nequitia sue crudelitatem. Homo quidam erat dives, cognatus quidem (συγγενὴς ejusdem generis) pauperis *Lazari*, si naturam corporis spectes: peregrinus autem & alienus ab hereditate Christi, propter voluntatis improbitatem, διὰ τὴν τῆς προαιρέσεως μοχθηρίαν. Homo quidam erat. *Homo quidem corporis specie, animi vero sensu belua, qua sola pascatur*. Homo quidam erat dives. Πλέσιος ἐν κτήμασι πλέσιος ἐν ἀγκλήμασι. *Dives possessionibus, dives criminibus. Dives erē, dives arugine peccati: argento circumfulgens, sed obtenebratus peccatis: dives in auro, sed egenus in Christo.* Divitiarum quidem in se non sunt damnabiles, sed numerari debent inter bona à Deo data, per quæ homines, veluti per scalas, ascendere oportet ad summum bonum, ut inexhaustos ejus thesauros agnoscant, pro iis devotas gratias datori agant, & concessis utantur ad Dei gloriam & suas proximique necessitates explendas 1. Cor. X. 31. iisque denique degustatis, majora & æternum duratura munera expetant, ac primum *querant regnum Dei*, Matth. VI. 33. *quod non est cibus aut potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu S. Rom. XIV. 17.* Gentiles quoque, Paulo docente Act. XVII. 24. seqq. eo quasi manu duci debebant & poterant, quando videbant, immo palpabant, Deum dare omnibus vitam, spiritum, & omnia, non tantum ad præsentem sed & futuram vitam spectantia. Quanto magis Judæis & Christianis ex caelestibus Oraculis id discere promptum erat. Illos vox ἡψ̄ Schaddai, quam sufficientiæ significationem habere docti contendunt, fatis monere poterat,

terat,

terat, ut in Deo acquiescerent, & ab eo peterent, quæ non ad hanc tantum vitam, verum imprimis ad alteram illam, quæ æternum perseverat, sufficerent. Nos Germanos, ut ceteras taceam nationes, vel vocabulum *Uff* sursum rapit, cum à bonitate majores nostri, (præclarior profecto & pulchrior, quam ulla alia lingua) eum sic vocaverint, quippe qui fons perennis sit, & perpetuo scaturiens, affluentissimis bonis exundans, & à quo omne, quicquid uspiam boni est, & dicitur, emanat. Hæc ingeniosa & pia *D. Lutheri* explicatio est in *Catech. maj. ad Præcept. I. p. m. 409.* At pauci sunt, qui divitias ex divina benedictione datas se habere agnoscunt, & facultatibus suis Deum honorant, *Proverb. III. 9.* & Deum ipsum, summum bonum, possidere laborant. *Plurimos autem videre licet, egregie rursus Megalandro* scribente *l. c. p. 404. existimantes sese & DEUM & omnia abunde habere, quando divitias abundant & opibus, quibus confisi adeo insolenter intumescunt, adeo constanter & secure his fruuntur, ut neminis rationem habeant. Ecce, ii quoque Deum habent, sed cui nomen est Mammona, hoc est, opes & pecunia, cui totius cordis adherent fiducia, in quem omnem spei suæ summam collocant, quique omnium communissimum in terris idolum est. Qui pecunia aut opibus large instructus est, ille, re sua probe constabilita, securum se esse statuit, animo adeo lato atque interrito, quasi in medio paradiso vitam agat omnium felicissimam. Unde Servator Matth. XIX. 23. pronuntiavit, facilius esse, camelum per foramen acus ingredi, quam divitem in regnum DEI. Et Paulus 1. Timoth. VI. 9. eos, qui ditari volunt, incidere in tentationem & laqueum. & in cupiditates multas insanas ac damnosas, quæ homines demergunt in perniciem & exitium. Nemo igitur optet sibi divitias, iisve inhiat; si tamen DEUS adjecerit, illis recte utatur, & reputet secum indefinenter præcepta divitibus in hoc seculo data: ne superbiant, neve spem habeant in incertis divitiis, sed in vivente DEO, qui nobis large suppeditat ad fruitionem: ut benefaciant, divites sint in bonis operibus. faciles ad impertiendum, & hospitalis, sibi ipsis bonum fundamentum congerant in futurum, ut vitam consequantur sempiternam, 1. Tim. VI. 17-20. Hæc si pensi moderatiquè dives noster habuisset, & fecisset, vere felix fuisset. At quia susque deque Deum habuit ejusque verbum, Moïsen & Prophetas, infelix merito dicendus est. Divitiæ enim infernus ei fuerunt. Siquidem, ut est in *Etyrnologico magno, πλέτων λέγεται ὁ αἰδης.* Forte *S. Ambrosius**

brofius huc respexit, quando L. de Nab. c. 6. ex Gentilium fabulis observavit, *Ditem*, simul *Deam divitiarum*, & *inferorum praesulens* dici, quo indigitetur, quod divitiarum subditi eo ipso pariter sint damnati. *Augustinus* Serm. XXX. ad frat. ait: *tollite divitias, & infernus non erit*. Quod quidem eo sensu intelligi debet, quo Paulus dixit, ditari volentes incidere in multas cupiditates &c. Certe cuncta peccata ut plurimum ex cupiditate divitiarum & avaritia originem & fomentum habent. Inde quippe fit, ut ad superbiam, & voluptates carnis & similia trahantur divites. Hoc nostro etiam usu, ex divitiarum abusu, venisse, diserte CHRISTUS testatur. *Tria* enim illa, ceu *Jansenius* Comment. in concord. Evangel. cap. XCVII. observavit, *Dominus ei tribuit; quibus homo in hac vita indicatur esse beatus, divitias, & ex divitiis paratas pretiosas vestes, pertinentes ad splendorem ac gloriam apud homines, & lauta convivium quoridiana*. De divitiis, quod satis forte est, diximus. Ergo de reliquis peccatis, ex divitiis vel originem vel occasionem trahentibus, jam dicendum est.

(s) ratione
vestium,
purpuræ,

Divites plerumque sunt superbi, & præ ceteris mortalibus eminare volunt. Sie wollen gesehen und angesehen werden; thun sich vor allen hervor / quod egregie Græca vox ὑπερήφανος indicat, ac Latinis etiam simili de causa *superbum* dici à *super* & *eo*, docti quidam censent. Sed missis vocibus rem spectemus. Quia divites cerni & digito monstrari volunt, vestitu amictuntur & incedunt pretioso. De nostro divite dicitur, quod *indutus fuerit purpura & bysso*. Purpuram olim vestem regiam fuisse, constat, & hoc argumento inducti nonnulli existimant, *Herodem* designari à Christo per divitem; sed admodum debile argumentum esse, vel hinc patet, quod *nuspian* legatur, *Herodem* vel unum, nedum quinque fratres, reliquisse. Judæorum Pontifices purpura indutos, etiam sequioribus temporibus, cum ab Ethnicis Regibus vincerentur, horum concessu, ex 1. Macchab. XIV. 43. 44. liquet. *Bakius* in Explic. hujus Evangelii, ex circumstantiis fere colligi posse judicat, divitem, quem *Porphyrium* vocat, *Purpurstreicher* / *Purpur-Juncker* / fuisse *Saduceum* quendam *primarium*, ein *Saduceischer* Prælat, und wohl gar *Hoherpriester* / cum etiam *Hannas*, *Caïphas*, alique Pontifices, boni fuerint *Saducei*. Sed, quia nec de ortu, nec de nomine epulonis, quidquam certi exploratitque habemus, hæc atque talia prætermittimus. Id unum vero dicimus,

cimus, quod ex habitu splendido divitis haud abs re concludi queat, cum inter illustres honoratiorisque personas Judaicae gentis numerandum esse, quum Abrahamum patrem suum adpelleret. *Serius enim asitatum fuisse, ut soli Imperatores & Reges purpura uterentur, cum antea & alii lautioris fortune eo cultu procederent, & Tyri vicinitatem majorem Judaeis purpure copiam fecisse, jam pridem H. Grotius ad h.l. observavit, qui tamen dubitat, an vox πορφυρας hic proprie usurpetur, licet LXX. Josephus & Philo ubique Hebr. אַרְבָּנָי sic expriment. Nostri instituti quidem non est, hæc atque talia, quæ ad antiquitatem magis, quam ædificationem spectant, operosius disceptare; interim ii, quibus volupe est, penitus illa scrutari, *Braunium* adeant consulantque L.I. Cap. XIV. de vestitu Sacerdotum Hebræorum ubi erudite pariter ac copiose de hoc argumento dislerit & §. IV. & IX. contendit *argaman* fuisse *veram & genuinam purpuram Tyriam, sive dibapham, nigricantis rose,* (unde *Jes. I. 18.* pro *Rosin*farbe legendum putaverim, *Rosin*farbe) aut *concreti sanguinis insar: nigrum quidem aspectu ob saturitatem, sed suspectu vegetissimo & acutissimo lumine resurgentem, ideoque Tyrio murice, non herbis, nec lacca, aliave materia, tinctam:* neque tantum apud LXX. aliosque scriptores, sed & in ipso novo Testamento *argaman* semper exponi per *purpuram*, qua plerumque *purpura Tyria* intelligatur, & *byssus* jungi, ut *Apocal. XVIII. 12.* & תְּכֵלֶת *Techeleth*, hyacinthino s. conchylio præferri: nec nisi Regibus, Pontificibus, aliisque magnatibus concessum fuisse, eam gestare, hancque ob causam à *Cassio* in Oratione ad milites *sacram purpuram*, à *Theodosio, Arcadio & Honorio sacrum muricem* dici, *privatisque purpura interdici.* Si igitur dives epulo privatus homo fuit, ut plerique censent, gravius peccavit, quod purpuream vestem sumsit.*

Byssus, qua similiter indurus erat, procul dubio dictus est ex & *byss.* Hebraico vocabulo בּוּץ *Butz* 1. Paral. XV. 27. 2. Paral. II. 13. III. 14. V. 12. Esth. I. 6. VIII. 15. ex quibus locis elucet, inter pretiosas vestes byssum numerari. Unde vero sic dicatur, & quid sit byssus, inter eruditos disceptatur. In Arabica lingua radix superstes significat *splenduit, sincero colore fuit.* Unde forte probari posset, בּוּץ denotare colorem quendam, puta purpuram, quemadmodum ex *Hefychio & Suida* probare conatur *Bochartus* in suo *Phaleg. L. III. Cap. IV.* putatque in Scriptura toties *byssum & purpuram*, vel *purpu-*

ram

ram & byssum pro purpurea bysso per figuram ^{duo diei} ^{duo diei} ponit hincque factum, ut *byssus* pro purpura, & *byssinus* pro purpureo sumeretur. *Braunius* de vest. Sac. Heb. L. I. Cap. V. non negat quidem *Butz* aliquando colorem significare, aut saltem byssum purpureo colore infectam, nec tamen probat, כחול שש toties in Scriptura S. repetitum, unam idemque declarare, sed putat byssum & purpuram semper duas diversas res, linum scilicet & lanam significare, ac materiam simul & colorem, aut materiam aliquam coloratam, ex mente etiam Hebræorum, qui שש *sebesch* per כחול שש exponant, intelligentque illam lini speciem, quæ optima subtilissima & pretiosissima est, de qua *Plinius* Hist. Nat. XIX. 1. & *Pausanias* in Eliacis L. I. quædam tradunt, ab aliis autoribus, & *Bocharto Braunioque* speciatim, notata. Indicam, Eliacam, Ægyptiacamque byssum imprimis celebrant, apud Hebræos tamen etiam optimam esse *Pausanias* largitur, quando non tantum cum Eliaca eam comparat, verum etiam ei præfert. *Byssus*, inquit, *que in Elide est, tenuitate non cedit Hebræorum bysso, sed non aque flava est.* Ejusmodi byssum non solum cum auro permutari, sed etiam æquare pretia margaritarum excellentium, nec ignibus absumi, sed sordibus exustis splendescere magis, indeque Regum tunicas funebres, corporis favillam ab reliquo separantes cinere, fieri apud Barbaros, *Plinius* autor est. Conf. *Salmas.* *Plin.* Exercitat. P. II. p. 997. seq. Parum hic forte refert, an *byssus* serici, quod *Strabo* hac voce designari vult, vel lini genus sit, cum illud satis certum sit honestiores & ditiores bysso vestitos fuisse, & quidem interius pro indusio, sanitatis causa, ut *Melanchthon* censet, cum lini natura sit attenuare, nec ullum tegumentum magis accommodetur corporibus, quam linum. Cuticulam ergo egregie curavit epulo, & simul superbe se ostentavit. Nullus enim, ceu bene nonne mo ait, *pretiosis vestibus cupit indui, nisi ubi scit se à pluribus videri.*

Superbia
vanitas &
pœna.

Est vero non tantum vanitas & stultitia, sed impietas quoque maxima, vestitu superbire, qui operimentum nequitiae & documentum testimoniumque perpetuum turpitudinis nostræ est. Nam *Protoplastos* nostros constat, simulac nuditatem suam spiritualement & corporalem agnovere, *ficulneis foliis* semetipsos contextisse, indumento asperrimo, ut *Irenæus* censet L. III. Cap. XXXVII. adv. Hæres. in signum humilitatis & penitentiae, Deum autem tunicas pellentes, ac speciatim ovinas, ceu *Gregor. Nazianz.* haud inepte colligit, substi-

substituisse, non tantum simplicitatis sed & mortis indices ac monitricas. *Quo enim*, inquit *Augustinus* L. II. de Genesi contra Manich. Cap. XXI. *major indicio potuit significari mors, quam sentimus in corpore, quam pellibus, quæ mortuis pecoribus detrabi solent. Itaque cum contra præceptum non imitacione legitima, sed illicita superbia Deus esse appetit homo, usque ad beluarum mortalitatem dejectus est. Ideo sic illi lex divina insultat ore Dei, qua insultatione nos admoemur, quantum possumus, cavere superbiam, & quod addere licebit, querere vestes salutis per lapsum amissas, per Christum autem acquirendas, nobis donandas, & fide induendas; nam haud abs re creditur, Deum non solum nudos homines contra cæli injurias munire, sed monere etiam simul voluisse pellibus detractis ex victimis & sacrificiis, tanquam signis fœderis gratiæ institutis, ut quem interioris hominis ornatum miseri amiserant, in Christi, tanquam agni immaculati & incontaminati, præcogniti & ab origine mundi occisi, (1. Petr. I. 19. f. Apoc. XIII. 8.) justitia quærenter humiliter ac fideliter, quemadmodum alibi ostendimus. Vid. Oecon. Tempor. Cap. VI. §. 24. & Oecon. Judic. Cap. III. §. 11. Adde *Pelargum* ad Genes. III. 21. ubi præter alia in margine notat, in verbo יִלְבָּשׁוּ *vestivit eos*, litterarum mutatione effici לְבַשׁ יֵשׁוּ *Jeschu libbam*, i. e. *Jesus cor eorum*. Quem vocum lusum suo loco relinquimus; id certe præcipuum est, quod notare hic oportet, evidens diviniæ misericordiæ & providentiæ testimonium, quod Deus, tanquam benignissimus pater, corpori & animæ prospicere voluerit. Unde non est, cur *Calvinus* rideat expositionem nostram simplicem, quod Deum quasi pellificem, aut ministrum ad consuendas vestes describamus. Grata nobis potius esse debet Scripturæ simplicitas, & dicente *Theodoreto* Q. 39. *admirari oportet perennem Dei benignitatem, quippe qui etiam delinquentium curam gerat, nec vestimentis carere necessariis nudos permittat. Quemadmodum ergo pauperes hinc discere possunt, nunquam sibi defuturum vestitum necessarium: ita quoque audiant opulenti, ceu graviter Chrysofomus* Hom. XVIII. in Genes. scribit, *Et qui luxuriant in vermium operibus, Et vestiuntur sericis, discantque, quomodo ab initio humanam naturam (Φιλάνθρωπος δεισιότης) humanus Dominus docuerit, ut mollem Et dissolutam vitam fugiamus, neque inertem Et remissam sectemur, sed magis austeram amplexemur. Ac, ne divites graviter ferant, cum pellibus se vestiri debere audiant, responderet, hoc se**

B

non

non dicere, nec perpetuo usos Protoplastos pelliceis vestibus, sed vestium amictum nobis perpetuum monumentum esse oportere, quo memores simus, quantis bonis exciderimus, & discamus, quanto supplicio genus humanum propter inobedientiam sit affectum. Post quæ ita invenitur in superbos: dicant ergo nobis, qui tanto utuntur apparatu, ut jam usum lana prorsus esse nolint; sed serico vestiantur, eoque insania pervenere, ut aurum vestibus intexant. Inprimis enim mulieres huic mollitiei dedita sunt. Quare, dic obsecro, corpus ita ornas, & gaudes ejuscemodi amictu? Non cogitas, quod pro magno supplicio, propter transgressionem tegmen hoc excogitatum est. Pulchre D. Müllerus in Cat. Evangel. h. l. drum laß dem Prangen/und was ist das Kleid anders/ als ein Verräther des Diebstahls/ das wir im Paradiß begangen haben? Prangt auch der Dieb mit seinem Stricke? Uinam expenderent diligenter virgines atque mulieres, quæ Tertullianus in Lib. de habitu muliebri ad eas scribit. Si tanta, inquit, in terris morarentur fides, quanta merces ejus expectatur in caelis, nulla omnino vestrum, sorores dilectissima, ex quo Deum vivum cognovisset, & de sua, id est, fœmina conditione didicisset, lætiorẽ habitum, ne dicam, gloriosiorẽ, appetisset, ut non magis in sordibus ageret, & squalorem potius affectaret, ipsam se circumferens Evam lugentem & pœnitentem, qua plenus id, quod de Eva trahit (ignominiam dico primi delicti & invidiam perditionis humana) omni satisfactionis habitu expiaret. - Vivit sententia Dei super sexum istum in hoc seculo, vivat & reatus necesse est: Tu es diaboli janua, tu es arboris illius resignatrix, tu es legis divina prima defertrix, tu es, quæ eum suavisti, quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facile elisisti. Propter tuum meritum, id est, mortem, etiam filius Dei mori habuit: & adornari tibi in mente est, super pellicæ tuas tunicas? Age nunc, si ab initio rerum & Milesi oves tonderent, & Seres arbores nerent, & Tyri tingereut, & Phryges insuerent, & Babylonii intexerent, & Margarita caderent, & Ceramnia coruscarent: si ipsum quoque aurum jam de terra cum cupiditate prodidisset: si jam & speculo tantum mentiri liceret: & hæc Eva concupit, de paradiso expulsa, jam mortua opinor. Ergone nunc appetere debet, aut nosse, si cupit reviviscere, quæ nec habuerat, nec noverat, quando vivebat. Ideo omnia ista damnata & mortua mulieris impedimenta sunt, quasi ad pompam funeris constituta. Nam illi, qui ea constituerunt, damnati in pœnam mortis deputantur: illi scil. Angeli, qui
ad

ad filias hominum de celo ruerunt. Respicit proculdubio ad Genes. VI. 2. idemque sensit Cyprianus de Habitu virginum p. m. 99. Ut-
cunque vero id se habeat, hoc negari nequit, superbiam autorem
agnoscere diabolium, ac Deum ad iram vindictamque provocare,
quod idem Pater ex Apoc. XVII. 1. ff. demonstrat, & Esa. III. 16. ff.
exemplo Babylonicae meretricis & filiarum Sion. Petrus & Paulus,
testes infallibiles, regulam certam & salutarem foeminis pariter ac
viris praescripserunt, ut interiori cultui studeant, abdicato exteriori,
1. Pet. III. 3. 4. V. 5. 1. Tim. II. 9.

Nil autem iuvat locupletes vel excusatio, vel exceptio, quod Vana divi-
te bonis suis uti debere contendant. Nam, ut Cyprianus l. c. p. 95. seq. tum & pau-
terrena omnia tam contemni debent, quam mundus ipse contemnitur. perum ex-
cujus pompis ac delitiis jam tunc renunciavimus, cum meliore transgres- culatio.
su ad Deum venimus, in Baptismo. (Conf. Tertull. de Spectacul. c. 4.)
Et non omne quod potest, debet fieri. Nec pauperes & pannosi a su-
perbia ejusque poena immunes sunt. Advertendum enim est, ceu Au-
gustinus de Serm. Dom. in mont. L. II. (Tom. IV. Oper. p. 819.) ad
Matth. VI. 16. f. scribit, non in solo rerum corporearum nitore atque
pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosus esse posse jactantiam: Et eo
periculosiorem, quo sub nomine servitutis decipit. Resistit Deus, ut idem
Enarrat. in Psal. LXXXV. ait, superbis Et holosericatis Et pannosis,
humilibus autem dat gratiam: Et habentibus aliquam substantiam hu-
jus seculi, Et non habentibus interior inspector est Deus. Resistere vero
etiam debebat Magistratus, ac observare legem olim latam: ne quis
subditorum uteretur vestibus Assyriis, Babylonis, Italicis (quid obstat,
quo minus addamus hodie, Gallicis?) variis artibus confectis sericis,
nisi is, quisquis esset, cum omni familia in ordinem cogi ac notari igno-
minia veller. Idque tanto magis hoc tempore faciendum erat, quo
magis in dies crescit detestandus luxus & superbia vestitus, ut infi-
mae quoque conditionis homines modum excedant, cum non tan-
tum vestibus confectis ex linteo optimo, verum etiam sericis induan-
tur. Quibus omnibus praeter monita ex Esaia, Petro & Paulo allega-
ta, occinenda D. Cypriani verba: sericum Et purpuram induta, Chri-
stum induere non possunt: auro, Et margaritis, Et monilibus adornatae,
ornamenta cordis ac pectoris perdidernunt. Quis non id execretur Et fu-
giat, quod alius fuerit exitio? Quis id appetat Et assumat, quod ad ne-
cem alterius pro gladio fuerit Et telo? - Quanta ignorantia veri est, ani-

mi quanta dementia, id velle, quod & nocuerit semper, & noceat? Hæc forte prolixius, quam par erat, differuimus; sed vitii grassantis amplitudo extorsit prolixitatem: quod quidem vel unicum Scripturæ S. verbum satis refellere potest, sed quia aliorum quoque testimonia multum valent, & major veterum, quam nostra est auctoritas, sanctorum Patrum graves sententias adducere visum fuit. Breuiore deinceps erimus.

(7) ratio-
ne sym-
porum.

Ne quid deesset ad felicitatem divitis in hoc mundo, secundum pravum mundi iudicium,

Is semper nitide dapibus gaudebat opimis.

Quod significantibus admodum verbis Christus expressit, dicens: ἐυφραϊνόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς, quæ sine quadam circumscriptione vix satis reddi possunt. Nam, ut *Jansenius* in concordia Evangel. h. l. docte notavit, ἐυφραϊνόμενος non est Græcis proprie, epulabatur, sed declarat oblectatum & letantem, ut non tantum epularum delicia significantur, sed quod eas cum letitia & iucunditate sumpserit, quo & sanitas corporalis ejusdem divitis insinuat, sine qua nulla est voluptas conviviorum, & reliqua, quæ ad hilaritatem faciunt conviviorum, ut santus musices, organa, amicorum presentia, & id genus similia. Nullis locis Scripturæ S. hoc confirmavit *Jansenius*, quæ tamen passim occurrunt. Duo facile sufficiunt. Luc. XII. 19. dives quidam homo, cum copiosos fructus regio ejus protulisset, sibi stolidè ita gratulabatur: requiesce anima mea, ede, bibe, ἐυφραϊνε, oblectare. Luc. XV. 23. pater, cum perditum filium ad frugem redeuntem in gratiam recepisset, iussit vitulum saginatum mactare, ut, inquit, φάγοντες edentes, vel sumptis epulis, letemur. Et vers. 24. dicitur: cæperuntque letari, adhibito scilicet concentu & choris, ut commate mox sequenti memoratur. Vers. 32. ἐυφρανθῆναι cum χαρῆναι vel conjungitur, vel per illud explicatur. Ab ἐυ & φρῆν derivatum verbum sonat, qui bono est animo, der gutes Muths und frölich ist/ letitiamque testatur aperte ac palam, quibuscunque modis potest. Vocem λαμπρῶς quoque amplæ esse significationis, si de delitiis adhibeatur in cibo & potu, & de aliis voluptatum generibus, *Dieterichius* Noster in Illustram. N. T. notavit, & ad hunc ipsum locum scripsit: λαμπρῶς ἐυφραϊνέσθαι non est vulgari modo vivere, sed quotidie opipare in maximo luxu & rerum profusione; quemadmodum λαμπρῶς vixere Reges Persarum, Vitellius, Heliogabalus aliique, Vulgo reddunt splendide,

alii

alii superbe, vel magnifice, Theophylactus *sumptuose & prodigaliter*. Splendor autem intelligi debet non verus, sed falsus, qui vulgi oculos perstringit, ut ejusmodi magnificum apparatus & luxum in felicitatis parte ponat; cum tamen revera splendida, infelix & damnata sit miseria: quemadmodum suo exemplo epulo noster testatur, & Jesaias V. 11 - 15. dudum prædixit, infernum dilatasse os suum, ut comestationibus & comotationibus ceterisque voluptatibus indulgentes devoret. Paulum quoque regno cælorum exclusisse Epicureum istud hominum genus, neminem latet, 1. Cor. VI. 9. 10. Gal. V. 21. Phil. III. 19. Sed nec Propheticae, nec Apostolicae comminationes, nec tot misere pereuntium exempla, hucusque fidem facere securis, & in diem viventibus potuere, ut abnegatis impietate & mundanis concupiscentiis, sobrie, juste & pie viverent in hoc seculo, Tit. II. 12. Christiani non nisi in Domino semper lætantur, Phil. IV. 4. ac edunt bibuntque ad Dei gloriam. 1. Cor. X. 31. eorum convivia sunt vere Agapæ: *justorum delectatio est Dei recordatio*, ceu Chrysostomus in Hom. cit. de Laz. & div. ex Psal. LXXVII. 3. (juxta LXX. interpret.) probat: ἐμνήσθην τῷ Θεῷ, καὶ ἡυφράνθην *memor fui Dei & delectatus sum*; sed epulo (ejusque fratres, quorum non quinque tantum, sed forte ultra quinque millia habet) *latabatur in ebrietatibus, in luxuriosis comestationibus, in bellationibus*, ἐν ἀταξίαις in allerhand Unordnungen und unziemlichen Dingen / *nihil dissimilis porcis, qui in luto voluntantur*. Et tamen hæc porcina foeditas reputabatur λαμπρότης, & laudabatur; verum non nisi ab iis, qui in vanitate & cœcitate mentis ambulant, non à filiis lucis, qui *abjiciunt opera tenebrarum*, & *velut in die εὐαγγελιῶν, compositæ, honeste, decenter & convenienter incedunt, carnis autem curam non habent ad concupiscentias explendas*, Rom. XIII. 13, seq. sed *crucifixerunt carnem cum affectibus & concupiscentiis*, Gal. V. 24. non sunt φιλήδονοι, sed φιλόθεοι, 2. Tim. III. 4. immo summo odio habent *maculatam à carne tunicam*, Jud. vers. 23, & sacro fonte tincti Christum induerunt, Gal. III. 27. sacerdotesque spirituales facti, ἐν ἐσθήτῃ λαμπρῇ in candida & splendida veste Deo serviunt, per totam vitam (Luc. I. 74. Actor. X. 30.) ac vere sunt λαμπροφάγοι, *abluerunt enim solas suas & dealbarunt in sanguine agni immaculati*, Apoc. VII. 14. & *ab omni pollutione carnis & spiritus se purgant*, 2. Cor. VII. 1. & *lucet in media perversa generatione, tanquam astra*, Phil. II. 15. & filii lucis,

lucis, Eph. V. 8. & vita sancta redarguunt *αἰώτως* pariter ac *αἰώτως*. Plura de epulis magnificis eorumque damnis diximus in III. Parte Judic. divinor. Cap. XII. quæ nihil opus est repetere, præsertim cum extent passim libri bene multi, qui hunc locum communem pertratarunt: scimus etiam dicendo scribendoque parum effici, nisi per salutare constitutiones Imperatorum insana comessandi & compotandi ratio coerceatur, & Imperatores, Reges, Principes & Magistratus Christiani exemplo præcant. Quod cum exulceratis hisce temporibus, ubi omnia in deterius ruunt, Staat aber/Splendeur, Magnificentz etc. täglich zunimmt/ bey Höhen und Niedrigen/ Armet und Reichen/ quisque memor moniti Salvatoris caveat, ne cor suum gravet crapula & ebrietate, & repente superveniat dies mortis & iudicii, Luc. XXI. 34. ubi suo damno irreparabili experietur, infelicem fuisse felicitatem, qua gavissus est in hac miseriarum valle, quam lachrymis potius rigare, quam latis clamoribus & symphoniacis choris replere oportebat. Qui ventri servit, subito perit; at qui Deo servit in sanctitate & justitia omnibus diebus vitæ suæ, non perit, sed æternam felicitatem consequetur. Fallitur cum epulone, qui putat se Deo & Mammonæ sive Baccho simul servire posse, Matth. VI. 24. *Qui diligit mundum, in eo non est dilectio patris.* Diligit vero mundum, qui sectatur concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, καὶ ἀλαζονείαν τῆς βίβης *jactantiam*, ostentationem & gloriationem vitæ, Praleserey/ Auffschneiderey/ Staats-Aufführung/ dicente Johanne 1. Ep. II. 15. f. cumque totus mundus nunc id faciat, totus in malo jacet, & non tantum cito præteribit, sed etiam peribit. Paulus 2. Tim. III. 1. 2. ἀλαζονίας inter eos refert, propter quos in extremis diebus, quales sunt præsentēs, *insent* & ingruant tempora *difficilia*, quæ hodie, proh dolor! nimis experimur. Rom. I. 30. dicit, Deum eos in reprobam mentem tradidisse.

Ita quotidie voluptatibus indulgetur, ut æternam relig. Jud. professionem serva-

Atque hæc sunt vitia, quæ in divite notavit Christus, unde luce meridiana clarius liquet, eum rotum voluptatibus immersum fuisse, & cor sursum tollere nequivisse, quia καὶ ἡμέραν *quotidie vacabat delictis sine omni metu*, ut Chrysostomus Conc. I. de Laz. & dividit. Non tamen adeo impium judicaverim epulonem, ut ne quidem in Sabbatho cultui publico interfuerit; Abrahamus enim illum vocat filium suum, saltem quoad externam professionem. Unde colligi potest, eum vitam Judæis congruam & consuetam egisse, nec

nec sacra nec sacrificia contempſiſſe; ſed ea ſic peregiſſe, ut Sacerdotes nil quidquam in eo deſideraverint; licet nullum ſit dubium, quin finitis ſacris *שבתה* *שבתה* *שבתה* *sabbathum deliciarum* celebraverit, & convivii ac hilaritatibus, cum fratribus & ſodalibus, reliquum diei tempus deſtinaverit; plane ut hodiernum multi faciunt, qui omnem religionem & pietatem in opere operato collocant, & ſe ſuo officio egregie deſunctos exiſtimant, quando unam alteramque horam publico cultui dicant atque conſecrant, & quicquid ſuperest temporis, Cereri, Baccho, Veneri, *ναυοις ηγι μεδαις* dant. *Megalan-* *der* noſter proinde cum in Poſtil. Eccleſ. tum domeſt. haud abs re cenſet, epulonem externe coram mundo pro pio homine habitum eſſe, quia in Evangelio neque adulterii, neque rapine, aut alterius criminis arguatur, quod mundus, vel ratio culpae patnerit. Si enim, inquit, eiſusmodi atrocita ſcclera commiſſet, Evangelium ea indicaret, quia in illum adeo accurare inquit, ut etiam amicius & victus eiſus rationem expreſſerit; quae tamen externa ſunt, & ſecundum quae Deus non iudicat. Darum muß er gar einen ſeinen heiligen Wandel euſſerlich geſuehret/ und nach ſeinem und aller anderer Duncten/ das ganze Geſetz Moſe gehalten haben. Quod ſi ita eſt, multos profeſto damnabit, qui aperi ſacrorum contemtores & ſabbathi profanatores ſunt.

verit in Sab-
bato &c.

Lutheri te-
ſtimon.

Impingunt vulgo poſtillatores ei praeſter haec aliud peccatum atrox, nimirum immiſericordiam erga pauperem Lazarum, quam ex verſ. 20. & 21. patere exiſtimant, ubi dicitur, quod *Lazarus ad veſtibulum divitis jacuerit ulcerofus, cupide exſpectans ſaturari de micis cadentibus à menſa epulonis.* Hinc pictores miniſtros quosdam divitis effinxere, qui flagris Lazarum ulcerofum à foribus abegerint. Et in Papatu Antiphona quaedam extat, qua canitur: *cupiens ſaturari de micis, quae cadebant de menſa divitis, ET NEMO ILLI DABAT.* Quae verba *Emſerus* ſuae verſioni quoque inferuit, licet ingenue fateatur *Janſenius*, quod nec in Graecis codicibus, nec in antiquis pleriq; ſcriptis extant: qui tamen arbitratur, *etiampi ea pars non addatur, ſatis ſignificari divitis inhumanitatem*, quod pauper ille coactus fuerit petere ſaturari de micis cadentibus à menſa, idque *Auguſtinum* collegiſſe ex his verbis ſcribit. Verum male ita collegiſſe Hipponenſium praefulem, vel diligens textus conſideratio grammatica docet, quemadmodum *Eraſ. Schmidius* in eruditis notis ac animadverſ. ad h. l. obſervavit, atque oſtendit, *ne ulla quidem textus litera probari poſſe,*

Immiſeri-
cordia ar-
gui divi-
tem non
poſſe, oſ-
tenditur.

posse, divitem hunc neglexisse Lazarum, sed longe facilius elici, etiam, qui non parcebat divitiis, sed potius profusus erat. micas de mensa cadentes & reliquias pauperi non invidisse, imo hac specie elemosynarum superbuisse, pro Pharisaorum consuetudine, Matth. VI. 1. 2. existimasseque, se ejusmodi elemosynis luxus sui excessus facile expiaturum. Nec sequi ait, ἰβέβλητο ad fores divitis, cupiens saturari de micis, quod mica ei fuerint denegata; sed notari his verbis causam, ob quam jacuerit pauper ad fores divitis, expectans micas, τῶν αὐτῶν auf das Zeller-Brod / und andere Fragmenta. Urget insuper Græcum βέβλητο in plusquamperfecto, hatte sein täglich Lager da. Denique ultima commatis 21. verba, ἀλλὰ ἡσὶ οἱ κύνες &c. non αὐτῶν, sed αὐτῶν, innuere docet, h. s. non tantum micis petitis satiabatur pauper, sed etiam canes domestici, qui ex quotidiana presentia eum optime noverant, ulcera ejus blande & salubriter lungebant. Si enim, inquit, antithesis esset, ἀλλὰ αὐτῶν οἱ κύνες &c. τὸ ἡσὶ esset non otiosum tantum & supervacuum, sed male insertum. Causam autem, quod Pontificii ad elemosynas Lazaro denegatas detorserint, nullam aliam fuisse censet, quam ut divitibus purgatorium in corde accenderent, quo metu gehennæ liberalius largirentur pauperibus, præcipue monachis & monialibus, quos præ aliis pauperes æstimabant. Interim largitur, in thesi rectissime dici & doceri, pauperibus elemosynas non esse denegandas: & immisericordiam erga pauperes igni infernali punitum iri. Patres, qui verba: & nemo illi dabat, referunt, ut præter Augustinum Chrysostomus in Homil. de Laz. & div. fecit, excusandos putamus, quia homiletice magis quam acroamatice locuti sunt, nec eam mentem habuerunt, quam Pontificii deinceps induerunt. Recte Jo. Millus in var. Lect. ad h. l. judicat, ne quidem dubium esse, quin trahenda huc sint ista ex historia filii prodigi in capite precedenti. (Luc. XV. 16.)

Applicatio.

Cum igitur immisericiordiæ argui nequeat epulo, sed potius ἀνομιώτατος, damnat utique divites & immisericordes, & hypocritas, quales hodie adhuc multi reperiuntur, qui corrasis per fas & nefas bonis (quod tamen de epulone dici nequit) luxuique suo materia sufficienter suppeditata, aliquid etiam erogant pauperibus, sed magis, ut hominibus spectentur, vel ex necessitate, quam ex charitate, magis propter existimationem, aut reputationem, & ex opinione vel spe meriti, quam lege officii debiti. Quare quisque sedulo attendere debet, quo-

quomodo eleemosynam exerceat, monente Christo Matth. VI. 1. ff. ne, etiamsi ἀπλῶς sinceraque mente eam croget, mercedem inde ex debito speret. Hoc enim si fecerit, mercedem suam jam accepit, ἀπέρχεται, hat ihn weg / oder schon empfangen / id est, non habet, quod præter gloriolam illam mundanam, & nugacem, ac furacem speret. Merces alioquin ex gratia promissa ei, qui ferit benigne s. largiter, ut copiose metat, 2. Cor. IX. 6.

Audivimus hæcenus felicitatem divitis in vita: videamus nunc ejus infelicitatem in morte, & post mortem. Mortem subire debuit æque ac Lazarus, & subiit, quod horrendum est, mortem non beatam, sed damnatam, quæ infelicitatis summæ initium fuit. Omnia enim, quæ habuit, uno momento amisit. Contigit ipsi, quod David cecinit de divite moriente hymno XLIX. 18. nihil quicquam asportabit in morte sua, nec descendet post ipsum gloria ejus. Quam acerbam mortem sustinuerit, ex Siracidis colligitur verbis XLI. 1. 2. quando vel recordationem mortis amaram esse pronunciat homini in bonis suis quieto, otioso, omniaque prospera habenti, & adhuc cibum capere valenti. Amaritudinem efficit conscientiaæ stimulus & carnificina. Nec enim, dicente Chrysostomo Conc. I. p. 38. mihi dixeris, illum mensa sumtuosa frui, vestibibus amicis, sericis, mancipiorum greges circumferre, alios submovere in foro: sed explica mihi istius conscientiam, & videbis intus gravem peccatorum tumultum, jugem metum, tempestatem, turbationem: videbis velut in judicio mentem ad thronum conscendisse conscientiaæ regalem, & tanquam judicem quandam sedentem, & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateraque conscientiaæ radentem unguis, pro commissis vehementer inclamantem. Equidem non dubitandum arbitror, quin dives vino somnoque sepultus sæpe non senserit conscientiaæ stimulos; sed ubi ad se rediit, eos effugere non potuit. Forte etiam dolores incussos excutere studuit per comestationes & comotationes quotidianas; nam & hoc solenne multis est, ut fauciatam conscientiam sanare conentur sodalitate hilari, mit lustiger Sauff-Compagnie. Et quis non putet, epulonem de emendanda ante obitum vita cogitasse? Verum mors festina & inopina spes longas decollavit. Quare stolide faciunt, qui pœnitentiam de die in diem differunt. Utinam auribus animisque tenerent semper vocem Dei Luc. XII. 20. o amens, hæc nocte animam suam repetent à te. Quinam vero sunt animam ab impiis

Epulonem
infelicitas
cepit in
morte & ante
mortem.

C

repe-

reperentes? Ex Evangelio nostro id facile colligitur, ubi dicitur, quod boni Angeli animam Lazari in sinum Abrahami asportarint, *Iustinus Martyr* in Quæst. & Resp. ad orthodox. tradit Q. LXXV. post exitum animarum è corpore, illico iustos ab iniustis segregari, & abduci ab Angelis ad condigna sibi loca: ac iustorum quidem animas in paradysum; iniustorum autem in infernum. Quod ex Hebræis desumptum videri potest: illi enim explicatius scribunt, tres Angelorum catervas obviam fieri hominibus decedentibus, & in impios irrucere *משיחיהם* perditrices, vel corrumpentes; unam dicere: non est pax impiis, inquit Dominus (Esa. LVII. 21.) Alteram: in dolore jacebitis (Esa. L. 11.) Tertiam: descende & cuba cum precipitatis in lacu, demonesque animam funda projicere, ab uno extremo mundi in alterum. Indicavit quædam ex Magistris loca *Ligtfoor* in Hor. Hebr. ad h. l. & ex *ממדי גולה* aliisque libris plura addi possent, si opus foret. *Chrysofomus* in or. cit. p. 46. dicit, animam divitis (*Φοβεράς τινάς διδάξεις*) virtutes quasdam metuendas: forte ad hoc missas, repetuisse: neque enim, inquit, sua sponte anima ad illam secedit vitam; & hoc ne fieri quidem potest. Nam si civitatem civitate murantes egemus manu ductore: multo magis anima à carne divulsa, & ad futuram transiens vitam, via ducibus opus habebit. Quapropter frequenter nunc emergit, nunc in profundum demergitur, metuitque & horret, cum à corpore discessura est. Nam quum semper nos stimulat peccatorum conscientia, tum vero maxime illa hora, quando hinc sumus abducendi, ad illa tribunalia & horrendum dicasterium; tum enim sive quis rapuit, sive fraudavit, s. contumelia affectit, s. cuiquam præter causam inimicus factus est, sive aliud quodcumque facinus perpetravit: universus illic peccatorum cumulus renovatur, & oculis exhibetur, mentemque stimulat. Hæc semper inculcanda monet D. Pater, licet molesta sint; & divitem ait, si quem habuisset, talia monita & consilia suggerentem, ac non potius adulatorum, omnia ad gratiam consulentes, & ad delicias trahentes, nequaquam in gehennam venturum fuisse. Assidue igitur præparari nos oportet ad exitum hinc faciendum.

sepultura,

Post mortem dives *sepultus est*, magna cum pompa & magnifice procul dubio, concurrentibus undique civibus & comitantibus omnium ordinum hominibus, laudesque damnati in cælum evehentibus. Eum quippe in finem sepulturæ expressa hic fit mentio, quæ in Lazaro prætermissa est. Unde bene *Brentius* animam vertit, *sentien-*
dum

dum esse, divitem ut splendide vixisse, ita etiam honorificentissime sepultum, ut ab omnibus judicaretur post mortem quoque felix ac beatus.

Multum enim imperiti in honesta, quod ajunt, & egregia (in eisenachensi Begräbnis) sepultura, in concione funebri, parentatione. & oratione panegyrica, spei & solatii quærunt, & beatos ac felices se suosque mortuos existimant, si tales prædicentur; cum tamen de plurimis dici forte queat, quod Esaias IX. 15. *exsiterunt qui beatum pronunciant hunc populum, seducentes, & beati dicti ab ipso, absorpti (ab inferno) s. beatificatores, ut sic dixerim, seductores &c.* Quare modus hic tandem statuendus esset, & cum de illis tantum, qui Domino & vivunt, & moriuntur, (Rom. XIV. 7. 8.) nil nisi bene dici possit: de aliis, quos mundo vixisse, ventri & mammonæ serviisse constat, tacendum prorsus, iique sepultura a fini humandi essent; quia ut jumentis similes fuerunt in vita: ita pereunt sicut bestix, Psal. XLIX. 13. *nec meliorem merentur sepulturam. Justorum tantum memoria in benedictione erit; nomen autem impiorum putrescet*, Prov. X. 7. Merito igitur Chrysostomus Conc. III. pag. 62. ita monet: *ubi quem videris improbam agentem vitam, nec quicquam hic acerbi patientem; ne putaris illum beatum, sed desle potius ac deplora, velut omnia crista tibi perpeffurum, quemadmodum dives ille fecit, cujus infelix fors in altera vita describitur*

I. A carcere in quem conjectus fuit, ᾗδης ille Græce vocatur: in inferno de qua voce, quid declaret, prolixa est inter doctos disceptatio. Ad institutum nostrum sufficit, quod non status tantum sed & locus infelix hic denotetur. Est enim ᾗδης, si originem vocis & derivationem spectes, locus tenebricosus, ita dictus, quod videri nequeat, ex a privativo & verbo ἴδω, video. Sic etiam alibi infernus describitur per tenebras exteriores, ubi ploratus & stridor dentium, Marth. VIII. 12. XXII. 13. Unde colligi potest, damnatos omni luce & gratia cælesti privatos, terroribus perpetuis impleri. Nam si, qui in tenebricofo carcere degunt, miserimi reputantur, quod nulla lucis usura fruamur; quanta, quæso, miseria damnatorum erit, quod catenis caliginis vincti, nullam liberationem sperare unquam queant? Verum de his in Loco de Inferno.

Sed procul dubio damnati libenter ferrent malas & tenebricosas mansiones, si à cruciatibus & suppliciis immunes essent. In horrendis autem tormentis ibi eos agere, epulonis docet exemplum, de

ubi gravif-
simos cru-
ciatus su-
flinet,

quo Christus dixit, quod sit *ἡνάξων ἐν βασάνοις*, in perpetuis exi-
stens tormentis; nam participium præsens actum continuum notat, &
Græca vox non vulgares sed maximos cruciatus significat, quales
sentiunt illi, quorum membra equuleis distenduntur, quod *βασάνω*
fieri dicitur; vel qui morbis excruciantur vehementissimis, Matth.
IV. 24. VIII. 6. aut à scorpiis percutiuntur Apoc. IX. 5. Adhibetur
etiam de doloribus parturientium, Apoc. XII. 2. Quando igitur
transfertur ad cruciatus impiorum in inferno, quod & hic fit, &
Apoc. XIV. 10. XX. 10. intensissimos dolores innui, patet: nec eos
tantum, ut vult *H. Grotius*, quos ex conscientia sententiam prædi-
cante sentiunt animi à corpore soluti, sed alios insuper extrinsecus
advententes exquisitissimos, quemadmodum ex adductis & diligen-
ter collatis inter se locis luculenter constat, & ipse epulo facterur,
quando vers. 24. ait, *ἰδούσιναι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ*, gravissime crucior
in flamma hac. Quæ verba rursus male *Grotius* ad cruciatum conscien-
tiæ tantum refert, quem flamma urenti comparari putat, quemadmo-
dum latine *uri* dicamus eos, qui animi anguntur; ut apud Terentium:
uro hominem. Non quidem negamus conscientiam esse tortorem per-
petuum, & vermem indefinenter rodentem intima cordis; sed flammis
augeri immane quantum dolores, simul ex h. l. statuimus. Vix gra-
viores sunt dolores, quam quos ignis efficit, quod quisque in se ipso
facile experitur, quando vel leviter aduritur digitus, nedum totum
corpus flammæ injicitur. Quos non cruciatus gignet infernalis ignis,
qui non est elementaris, sed spiritualis, nec unquam extingueretur,
corpusque & animam peruret, nec tamen exuret?

sine ulla re-
focillatio-
ne.

Est etiam infelix dives & vere pauper in infernali igne, quia ne
minimam quidem refocillationem accipit. Quod his significatur ver-
bis; quando inducitur *petens ab Abrahamo*, ut *Lazarum ad se mittat*,
qui extremum digiti sui in aquam intingat, ac linguam suam refrige-
ret, hocque ei denegat Abrahamus, vers. 24. 25. Quid hac paupertate
pauperius esse posset? inquit *Chrysostomus* Conc. III. ut ne guttam
quidem aquæ haberet in sua potestate: qui antea omnium copia afflue-
bat & vino madebat, nunc unius guttæ refrigerantis inopia labo-
rabit. Quid gutta aquæ sedenti in stagno sulphuris & ignis, quod ne
maria quidem extinguere possunt? Nec injuria tantillum refrigerii
denegabatur epuloni, qui lingua præcipue peccaverat, eique jugiter
omnes ciborum & potuum lautitias indulserat, & prout fieri inter
pocula

pecula solet, obscenitates, stultiloquia, scurrilitates, contumelias & blasphemias sine fronte evomuerat. Quia igitur *lingua* in divite ignis erat, à *geberna* incensus, totum corpus maculans. Et *nativitatis* rotam inflammans, Jac. III. 6. in lingua peculiarem ignis pœnam sentit, secundum tritum illud verbum: per quod quis peccat, per id punitur & idem. Quod utinam omnes serio semper perpenderent, forte lingua non peccarent, sed eam potius commorderent undique dentibus acriter. *Præstat* quippe, *Chrysolomo* dicente Conc. III. *illam nunc suere sanguine, quam tunc concupiscere guttam, nec impetrare posse refrigerium: præstat illam temporarium ferre dolorem, quam tunc perenniter* & *immortalibus malis cruciari.*

Illud autem breviter hic disceptandum & definiendum est, *quomodo oculi, lingua, & alia corporis membra, nec non colloquia, diviti damnato, & Abrahamo Lazareque beatis, tribuantur?* Vexata & diu varie agitata inter veteres æque ac recentiores Ecclesiæ doctores hæc quæstio fuit. Nam ex *Augustini* L. IV. de Origine animæ cap. XV. XVI. Tom. VII. Op. p. 817. patet, hinc colligere nonnullos voluisse, animas, cum à corpore decesserint, locis corporaliter visibilibus contineri, & corporeas esse. Fecit hoc *Tertullianus* in Libro de resurrectione. & de anima cap. VII. *Jansenius* in Concord. prolixus hic est, & statuit, *Dominum de animis corpore exutis loqui tanquam adhuc corpore circumdatis, ac spiritualia corporaliter describere, quod illa aliter cognoscere nequeamus, quemadmodum Scriptura etiam Deo tribuat membra corporalia, cum certum sit illum non esse corporeum.* Conf. id. *Augusti*. de Civit. Dei L. XXI. cap. X. *Noster Lutherus* de colloquio inter divitem & Abrahamum judicat, illud corporale esse non posse, cum utriusque corpus in terra sepulchrum jacuerit: nec corporalem linguam, digitum & aquam intelligi; sed hæc omnia in conscientia peracta esse: eam enim, si in morte, vel periculo mortis aperiat, sentire demum suam incredulitatem & inobedientiam, ac concipere inde maximum cruciatus & dolores infernales, nec vel auxilium, vel solatium invenire. Tum ejusmodi cogitationes surgere, quæ in talia colloquia erumpent, qualia epulo habuisse cum Abrahamo hic narratur, si loqui possent. Laudanda hic est modestia *Augustini* L. VIII. de Gen. ad litter. cap. V. (Tom. III. Op. p. 432.) scribentis, *quemodo intelligenda sit illa flamma inferni, ille sinus Abrahæ, illa lingua divitis, ille digitus pauperis, illa sitis tormenti, illa stilla refrigerii, vix fortasse à mansuetis*

Qui oculi,
lingua &
colloquia
mortuis
tribuantur?

quarentibus, à contentiose autem certantibus nunquam inveniri. Satis est ad scopum, quem Christus intendit, utcunque intelligere infelicem ac miserandam conditionem divitis, ut *Salvianus* L. III. adv. Avaritiam p. m. 245. loquitur; in inferno, quod damnati crucientur remorsu perpetuo conscientiae, ex recordatione admissorum scelerum, ex reputatione amissae verae aeternaeque felicitatis, quam consequi potuerunt, & certa cognitione irreparabilis suae damnationis. Huc enim omnia tendunt, hancque sententiam confirmat responsum Abrahami vers. 25. 26. *Fili, recordare, quod acceperis bona tua in vita tua: & quod dicit, ingentem hiarum esse firmatum inter beatos & damnatos, nec hos ab illis juvari posse. Quod cum intellexisset epulo, pro fratribus, quos forte seduxerat, & combibones habuerat, sollicitus, petiit, ut Lazarus ad eos mitteretur, qui testificetur de sua infelicitate, eosque adhortetur ad seriam, nec seram poenitentiam, ne & ipsi in locum istum tormenti veniant. Sed & hoc postulatum Abrahamus inane & frustraneum fore adfirmat, cum per Mo- sen & Prophetas sufficienter excitari queant ad salutis aeternae rationem, vera poenitentia & fide quaerendam, inque Christo invenendam; quo Christus ipse & hic, & alibi Judæos remittit, Joh. V. 39. 40. diserteque affirmat, Mo- sen eos accusaturum, quod ei de se testari non credant. Præcipuum enim scopum esse hujus hystoriae figuratae, vel parabolæ, ut indigetur perditio Judæorum non credentium, qui Mo- sen & Prophetas habuerunt, & tamen non crediderunt, cum quidam (Christus scilicet) resurrexerat à mortuis, doctissimus *Ligtfootus* in Hor. Hebr. ad h. l. censet, hancque conclusionem versum 31. satis indicare dicit. *Henricus Teelmans*, Batavus, idem sentire, & ex Anglo hausisse videtur suam sententiam, licet eam prolixè admodum & speciosè satis explicet peculiari tractatu; contendit enim ex vers. 29. patere, quod *Salvator noster ostendere voluerit, quam nefarie Pharisei & Judæi Mo- sen & Prophetas contemserint, dum propriam justitiam stabilire quaesiverint, & in externis ceremoniis eam collocaverint, ac propterea Lazarum, sive Christum Jesum, verum Messiam, extra quem nulla salus, rejecerint; quibus propterea aeternas poenas, in inferno jure meritoque subeundas denunciaverit.* Hæc ex antecedentibus & toto contextu probare conatur; quo successu, judicent eruditi. *Theophilus Amelius* libellum recensuit multisque observationibus auxit, in der Grörterung der dunkelsten und schwersten Schriftstellen im Neuen Testaments A. 1711.*

A. 1711. mens. Novembr. p. 943 -- 1012. 70. *Lomeierus* quoque, item Batavus, in *Caput XVI. Lucae observationes Analytico-Didacticas* edidit, quibus fatum Synagogæ Judaicæ τὸ πῶδός describitur, ubi *statum incredulorum Judæorum sub Oeconomia Novi Testam.* vocat *suburbium inferni*, & *Lazarum Ecclesiam Judaicam tempore Christi adumbrasse* asserit, cujus capita & membra languida & ægra fuerint. Sed populares ejus hoc commentum digne refutarunt, ac inter eos etiam *Tschmannus*. Patres antiquos plerosque constat *allegorice* hanc pericopen explicasse, & in divite populum Judaicum, in mendico autem populum gentilem intellexisse. Vid. *Augustin.* L. II. quæst. Evangel. §. XXXVIII. Tom. IV. p. 248. seqq. & *Theophyl.* ad h. l. Sed nos missa allegoria, literam & scopum tenemus, quem ab initio indicavimus; nec ullis rationibus movemur, ut a simplicitate aut antiquiore, ut sic dixerim, antiquitate discedamus. Unde explanationem finimus verbis *Irenæi* L. IV. Cap. IV. *Non fabulam (nec allegoriam) retulit nobis (Christus) pauperis & divitis: sed primum quidem docuit neminem oportere delictis uti, neque in secularibus oblectamentis & multis epulis degentes servire suis voluptatibus, & oblivisci Deum. De talibus & per Esaiam dixit Spiritus V. 11 - 15. Ne ergo in eandem pœnam cum his veniamus, finem eorum ostendit Dominus; simul significans, quod obedientes Moysi & Prophetis crederent in eum, quem ipsi predicassent Dei Filium &c.* Tractationem de Lazaro, sive alteram concionis partem rejicimus in aliud tempus, ne Homiletica expositio nimis sit proluxa, & progredimur ad

LOCUM

DE

INFERNO SEU MORTE
ÆTERNA.

I.

Quemadmodum suavis & jucunda est vita æternæ devota consideratione: ita è contrario mortis æternæ contemplatio non potest non terrorem horroremque incutere mortalibus. Utriusque tamen meditatio necessaria & utilis est: ac tanto magis quidem

Necessariam & utilem esse considerationem inferni,

quidem sedulo accurateque inculcari debet posterior, quanto minus ea carni grata est. Unde sapienter Siracides VII. 36. monet: *in omnibus sermonibus tuis* (Vulgat. habet operibus, quod malum non est, si late vox *λέγος* capiatur, ut Hebraica *דבר* quippe quæ pro re & opere non raro adhibetur) *memento novissimorum tuorum*. Hanc ob causam Servator noster O. M. tam graphice & perspicue utriusque descriptionem & expositionem hic tradidit, ut quemadmodum alias Scripturas, ita & has scrutemur, quo æternam vitam consequamur, & mortem æternam effugiamus. Unde vere omnino D. *Lycerus* in *Harmonia Chemnitii continuata* Cap. CXXIII. observavit, *in tota Scriptura S. non extare alium locum, in quo tam expresse & aperte agatur de statu animarum post hanc vitam, atque hoc loco. Non quidem, ut curiositati humane satisfiat, sed ut illa potius cohibeatur, utpote quæ perversa negligere & sollicite inquirere de occultis solet.* Igitur ea refrenanda & ad divinam revelationem reducenda & alliganda est. Negari nequit, infinitas fere quæstiones & disputationes ex hoc Evangelio ortas esse, quas tamen omnes simplex veritas à Christo proposita vel solvit, vel tollit, ut subinde videbimus. Ad legem Moysi & testimonium Prophetarum provocare & revocare omnia fas est, *Jes. VIII. 20.* Hanc certam & ireformabilem regulam Deus ipse nobis tradidit, secundum quam si incedemus, erit super nobis pax & misericordia, & super Israëllem Dei, *Gal. VI. 16.*

II.

Dati infer-
num prob.

Dati infernum Judæi saniores nunquam in dubium vocarunt, licet semper aliqui fuerint vel verbis vel factis inficiantes, quorum parens & antelignanus Cain erat, prout Chaldaica translatio testatur *Gen. IV. 8.* Produxerunt Theologi ex Moysi & Prophetis dudum plurima argumenta, quæ tamen omnia non unius sunt roboris. Quæ enim e. g. ex *Nam. XXIV. 20.* & *Deut. XXXII. 22.* à B. *Gerhardo L. de Infer. cap. II.* adducta sunt, *Calovio* iudice *Syst. Tom. XII. Art. VI. Cap. I. Q. I. p. 205.* non de æterno, verum de temporario solum iudicio agunt. *Alius ergo, inquit, sine dubio repetenda est hæc doctrina, quæ omnino ob mundi malitiam etiam antediluvianis, & temporibus Patriarcharum, imo statim post lapsum predicanda fuit, & ante lapsum iam ab ipso Deo predicata est. Nam quid certius, quam quod prima comminatio Gen. II. 17. morte morieris, non tam mortem temporariam, quam æternam, legem Domini transgressuris prædixerit, ut eadem à culpa ab-*
straher-

serabentur? -- Et quis inficiabitur, maledictionem Mosaicam omnibus, qui non servarint verba legis, factam, mortem æternam comprehendisse, Deut. XXVIII, vers. ultimo. Hinc Paraphrastæ & Rabbini מיתה שנייה מיתה שנייה mortis secunde meminerunt. Vid. Onkelos ad Deuter. XXXIII. 6. & Jarchi ac Kimchi ad Jel. XXII. 14. quaphrasi etiam Johannes in Apocalypsi XX. 14. XXI. 8. utitur, utpote tum nota fati & recepta. Per scripta Prophetarum currere & testimonia exinde colligere, supervacaneum videtur; quia ea ubivis collecta inveniuntur, & nonnulla in sequenti occurrent tractatione. Nec excludi libros historicos aut hagiographos, sed sub titulo prophetarum comprehendi, in Scholis Judæorum certum est, præterque *Ligeotus*, Salvatorem in nostro Evangelio loqui secundum usitatum morem legendi Mosen & Prophetas in Synagogis. Quicquid sit, si epulo è lecta Pharisæorum fuit, ex universa Scriptura S. si Sadducæus, ex lege sufficienter convinci potuit. Sed Atheus fuit & Epicureus, ideoque parum curavit, quid Moses & Prophetæ dixerent. Habet vero hodiernum multos fratres & sorores tam intra, quam extra Ecclesiam visibiles, qui consilium Epicuri sequuntur, ut aut demens, aut incredulus fias, sicque te liberares à sensu ira & peccati in calamitatibus & morte, quemadmodum D. Lutherus Enarrat. in Pf. XC. Tom. IV. J. L. fol. § 29. b. loquitur, ubi frivolum hoc consilium vocat, probatque h. m. *Quid enim? si aut non possis esse incredulus, & metuas, ne, quæ hic contemnis, post vitam hanc sentias vera esse: aut non possis esse demens, ut nunquam de hoc periculo futuro cogites?* Omnium sane hominum cordibus inscripta est notitia Dei ejusque justitia, quemadmodum D. Paulus Rom. I. 18. 31. II. 15. f. docet; unde propria hominis conscientia eum vel excusat, vel damnat. Quia vero non omnes debitas scelerum pœnas semper in hac vita luunt, id certissime in altera vita futurum est, ubi Deus unicuique secundum opera sua reddet, Rom. II. 5. 2. Theff. I. 6. Hinc *impii*, licet felices sint in hoc mundo, tamen gravissimis interdum conscientia angoribus, ac metu pœnarum post mortem secutararum torquentur: sicque infernum in se ipsis habent & sentiunt. *Tanta vis est, teste Cicerone in orat. pro Milone, conscientia, ut pœnam semper ante oculos versari putent, qui peccaverint.* Pii quoque & tentati, immo omnes vere pœnitentes, dolores infernales degustant, sed inde eripiuntur: *impiis autem & impoenitentibus sunt initia & indicia æternorum cruciatuum.* Vid. Psal.

XVIII. 6. LXXXVI. 13. LXXXVIII. 4. seqq. XC. 8-13. Neque tamen propterea statuendum est, infernum nihil aliud esse, quam conscientiam malam, prout novi Empæctæ, athei & fanatici quidam, ante annos circiter XL. Jenæ, authore *Matthia Cuzenio*, Hoffato, finxerunt, qui se *Conscientiosos*, sed sine conscientia, vocarunt, quos ex instituto refutavit *D. Musæus* peculiari libello, & *D. Calovius* Tom. XII. Syst. Theol. p. 203. seq. & p. 227. Inter *Gentiles* quidam id omne, quod de æternis suppliciis apud inferos circumferebatur, commentum hominum prudentum purarunt, qui coercendo vulgo nec temere, nec sine causa talia effinxerint. Vid. *Tob. Pfannerus* in Syst. Theol. Gent. pur. Cap. XXI. §. 2. seqq. Idem hodie sentiunt Pseudo-politici & Statistæ, gentilibus pejores, quorum plerique impios luere pœnas in tenebrosis locis affirmarunt, ut *Zeno ap. Laëtant. L. VII. 7. Conf. Voss. Theol. Gentil. L. I. cap. X.*

III.

Quid sit infernus, ex vocibus & descriptione quodammodo innotescit,

Quid infernus sit & mors æterna, verbis quidem exprimi satis nequit, nec aliquis ex inferno rediit, qui renunciaverit; quodammodo tamen colligi & intelligi potest cum ex vocibus, tum ex descriptione in pericopa nostra expressis. De voce *âdñs* pauca in explicatione diximus; quibus nonnulla addenda sunt. Prolixè admodum de ea agunt *Hammondus* & *Clericus* adnotat. in *Matth. XI. 23.* quorum ille contendit, eam apud profanos scriptores non significare locum damnatorum, sed tantum statum mortis, vel excidii, idque adstruere laborat præcipue ex *Phurnuto* seu *Cornuto*, qui ἀφαιστικὸν interpretetur: hic autem negat, ea statum mortuorum signari, si propria significatio spectetur; esse enim nomen Numinis, quod inferis præesse creditum, nempe *Plutonis*: postea tamen etiam sic dictum esse locum illum, in quo *Pluto* regnare censeatur, sub terra. Interpretationem *Cornuti* ex voce non usu petitam, allegoricam & plerisque ignotam esse. Observarunt hoc pridem alii ante *Clericum*, & recte quidem. Erymologiam autem vocis *âdñs* vulgarem Græcorum Grammaticorum rejicit, eamque deducit ab Hebraica voce *אי* exitium, quæ non modo *ed*, sed & *ajid* pronunciari possit, quam forte *Phœnices* scripserint *הי* adeoque ex *hajid* factum esse *haides* & *hades*. Sed nihil opus est his ambagibus, & simpliciori forte conjectura dicitur, *âdñs* deduci ex Hebr. *אי* cum He emphatico præfixo *האי* *hâed*, vel *haid*; terminatio Græca *ns* adjecta facile fuit: *ajid* autem

antem nuppiam in tota Scriptura S. occurrit, sed constanter ubique ed legitur. LXX. Job. XXXI. 3. reddiderunt ἀπώλειαν, quæ vox in N. T. sæpe æternam damnationem notat, Matth. VII. 13. Actor. VIII. 20. Rom. IX. 22. Phil. I. 28. III. 19. &c. arque hæc significatio optime huc quadrat, quicquid tandem sit de vocis origine. Ex usu sane Scripturæ S. frequenti constat, & statum & locum damnatorum hac voce declarari. Nihil opus est prolixitate in re perspicua. Ipse epulo ἐν τῷ αἰῶνι vocat αἰῶν locum tormenti vers. 28. Quæ vero & qualia tormenta sustineant damnati in inferno, exponi satis nequit, utcumque tamen intelligi potest ex querelis & colloquio divitis, in nostro Evangelio cum Abrahamo instituto, cujus compendiariam expositionem jam tradidimus: indeque descriptio inferni erui potest sequens: quod sit locus tormentorum, in quo anima reproborum & incredulorum, statim post mortem, ineffabilibus ignis inextinguibilis cruciatibus, torquentur, omnique solatio & resocillatione privantur, & corpora quoque eorundem post resurrectionem similiter torquebuntur. Atque hæc est descriptio inferni & subjective & formaliter accepti. Has duas enim significationes, Calovio consentiente, nihil attinet scrupulosius distinguere, quum infernus, vel gehenna, non sit sine supplicio infernali, nec supplicium infernale sit extra infernum. Alias voces non cumulamus, quas adduximus strictimque exposuimus in Theologia nostra Judaica L. XXVIII. & Oeconom. Judic. divin. P. I. cap. II. §. 8. 9. 17. licet ex iis etiam lux quædam obscuro αἰῶν affulgeat. Definitionem igitur datam paucis probabimus & illustrabimus.

IV.

De loco primo loco dicendum est. 1. Certum esse locum supplicii damnatorum destinatum, negari nequit; quia epulo mentionem facit loci communis tormentorum, in quo & ipse sit, & quo veniant omnes impænitentes & increduli. 2. Id liquet ex Evangelio, αἰῶν vel infernum non esse commune receptaculum animarum, ut multi existimarunt ex antiquioribus pariter ac recentioribus scriptoribus; sed tantum damnatarum: quia μέγα χάσμα constitutum esse Abraham dicit inter beatas & reprobas animas, ut aliæ ad alias migrare nequeant. Vulgatus chaos vertit, non inepte, ut docti judicant; quia ipsi Ethnici scriptores, quando de inferno agunt, χάσμα & χάος adhibent, quorum testimonia Grotius & Dieteric. retulerunt. Jansenius fatetur, χάσμα esse proprie hiatus, ac nihil aliud phra-

phraſeologia ſacra denotari, quam ſic eſſe ſeparatos damnatos à piis, ut imperuius ſit utriſque ad alteros tranſitus. 3. Ubi vero locorum infernus ſit, ſine temeritate forte definiri nequit, ac merito noſtri Pontificios hoc nomine reprehendunt, quod infernum in centro terra locaverint. Si enim cælum & terra tranſibunt, ubi infelices inferorum manſiones manebunt? quas tamen permanſuras ſemper Scriptura ſ. aſſerit. Puerile argumentum eſſet, ſi quis ex eo adſtruere vellet, quod dives ſepultus ſit in inferno, ſicut Vulgatus reddidit, ipſum ſepulchrum eſſe infernum, vel hunc in terra quærendum. *Jaſenius* iterum fatetur, Græca hæc non habere, & *Auguſtinum*, licet L. II. de QQ. Evang. ſecutus ſit lectionem vulgatam, in aliis tamen locis ſequi Græcam, ut in Sermon. de Tempore CX. & Homilia VII. ex quinquaginta. Specioſius urgeri poſſet Eph. IV. 9. ubi de deſcenſu Chriſti ad inferos (de eo enim ſimpliciſſime & veriſſime verba intelliguntur) Apoſtolus dicit, eum deſcendiſſe εἰς τὰ κατώτερα μέρη τῆς γῆς. in inferiores partes terra. Hinc colligi poſſe videtur, infernum ſi non in centro, tamen in infima terræ parte eſſe. Sed ex Græciſmi indole, *ἀπὸ βυθῶν* Dannhauero explicante, ſignificat κατώτερα ſ. infima, aut ipſa terra inferiora loca, qua terra corpore non continentur. Unde quidam cum *Chryſoſtomo* Homil. 31. in Ep. ad Rom. p. m. 397. iudicant, extra omnem hunc mundum eſſe infernum. Paratum eſſe infernum ſcimus Eſa. XXX. 33. à Deo juſto iudice, ſed quando, ubi & quomodo, neſcimus: nec opus eſt, operoſe hæc indagare. Si terrena ſapimus, quærimus & amamus, infernum habemus & circumferimus in nobis, in terra hac: & ſi ea non abnegabimus, poſt mortem retinebimus, ubicunq; fuerimus. Bene proinde *Chryſoſtomus* monet l. c. quid curas, ubi ſit gehenna? *Queſtio eſt, ut oſtendatur, quod ſit, non ubi recondita ſit, & quo in loco?* -- μὴ τοῖνυν ζητῶμεν πῶς ἐστίν, ἀλλὰ πῶς ἐν αὐτὴν φύγομεν. Ne quæramus igitur ubi ſit, ſed quomodo illam effugiamus.

V.

Quibus paratus infernus?

Quibus paratus ſit infernus, ſi quæras, non ſupervacaneæ, nec otioſe quæſiveris. Reſpondet autem Chriſtus breviter Matth. XXV. 41. ignem æternum paratum diabolo & angelis eius eſſe, in quem diſcedere iubet in die iudicii finaliter incredulos, & impios omnes impœnitentes. Sunt enim impii filii diaboli, idem ergo ſupplicium cum patre ſuo ſubibunt, & ſubeunt ſtatim quoad animam, quando ex hac

hac vita excedunt, prout epulonis docet exemplum. Quinam vero increduli & impii sint, probe animadvertendum est. Diabolus enim plerisque fascino vit animos in omnibus sectis, ut credant, illos solum in gehennam descendere, qui pro infidelibus vulgo habentur, catholicos autem & orthodoxos, sive veram religionem profitentes, ab hoc supplicio exemptos esse. Ita *Judei* omnes Israelitas partem in futuro seculo habere crediderunt, quod Patrem haberent credentium Abrahamum; sic opere operato vitentes, ac in externo cultu hærentes, misere se cum epulone deceperunt, und haben sich in die Hölle hinein geglaubet. Idem faciunt fere Pontificii: nec multo meliores sunt, qui ex nostris dicunt, se Deum agnoscere, cum tamen ei non serviant in sanctitate & iustitia, sed operibus ipsum abnegent. *Chrysostomus* loco paulo ante citato graviter, ut solet, tales ita redarguit: *Et quid istud? Quando enim vita eorum impura fuerit, majores etiam poenas propterea dabunt, quam infideles, Rom. II. 12. Matth. XII. 41. Luc. XII. 41. -- Quid igitur, o homo, ludis in rebus non iudicris? Quid te ipsum decipis ac seducis animam tuam? Quid benignitatem Dei expugnas? -- Erit enim tam in peccatis quam in recte factis, etiam minutissimorum exacta inquisitio. Oculorum quoque impudicorum poenas dabimus, & verbi otiosi, & simplicis convitii, ebrietatis quoque supplicia patiemur.* Hanc securitatem ut excutiamus, diligenter inspiciamus catalogum damnandorum, quem Prophetæ & Apostoli texunt, *Jes. V. 11 seqq. 1. Cor. VI. 9. f. Gal. V. 19. f. 2. Thess. I. 8. Apoc. XXI. 8. XXII. 15.* Breviter omnia complectar verbis *Fulgentii* de Fide ad Petrum Diaconum Cap. II. *Qualitas male vite ab infidelitate incipit, que ab originali peccati reatu initium sumit. In quo quisque vivere ita incipit, ut ante finiat vitam, quam ab ejus obligatione solvatur, si unius diei vel unius hora spatio anima illa vixit in corpore, necesse est eam cum eodem corpore interminabilia gehenna sustinere supplicia: ubi diabolus cum angelis suis in aeternum arsurus est, ubi cum eo etiam fornicarii, idolis servientes, molles, ebriosi, fures, avari &c. aeternis ignibus exurentur.* Nullum ergo peccatum leve ducendum, quia stipendium peccati cujuscunque mors est æterna, *Rom. VI. 23.* qui fugit peccatum, effugit infernum.

VI.

Nec levis res est damnationem sustinere, ut leves & securi homines judicant, quando ejus gravitatem exaggerantibus verbi ministris

Gravitas
damnatio-
nis

D 3

stris

1. quoad
pœnam
damni,

stis regerunt, die Hölle seye nicht so heiß / als man sie mache. Epulo-
nem interrogent, qui dubitant, ac Deo id multis modis indicanti ac
inculcanti non credunt. *Crucior*, ille clamat ex loco tormentorum,
in hac flamma. Quas voces ut poruimus, exposuimus; fatemur tam-
en digne satis efferri verbis haud posse pœnam damni & sensus, quam
damnati subire coguntur. Addamus autem nonnulla dictis, præfer-
tim quod ad priorem adtinet pœnam, quam non attingimus, & quæ
posteriore longe est gravior. Ac ut compendium verborum facia-
mus, *Chrysostrum* de hoc argumento differentem audiamus Homil.
XXIV. in Matth. Cap. VII. p. m. 296. *Videtur*, inquit, *una tantum*
pœna esse, nempe comburi. Si vero accurate aliquis perquirat, duo omni-
no sunt supplicia, δύο κολάσεις. *Qui enim in gehenna uritur, calorum*
regno quoque profusus excidit: *ὅτι δὲ ἐν τῷ ἑκκατῷ ἔτει ἢ τριῶντα*.
Novi quidem, quod multi gehennam tantum pertimescant; ego vero
amissionem istius gloria multo amariorē esse pœnam dico. — *Intolera-*
bilis etiam res est gehenna; sed si mille aliquis gehennas ponat, nihil ta-
le dicitur est, quale est excidere beata illa gloria, exosum esse Christo.
& audire ab illo: non novi vos. Satius est mille fulmina sustinere,
quam vultum illum serenum nos averſantem videre, & oculos illos pla-
cidissimos, nequaquam nos aspiciere sustinentes. Visio enim Dei beatifi-
ca omnia bona complectitur, quibus omnibus æternum privatur
damnatus, quemadmodum epuloni regerit Abrahamus, ipsius mife-
ricordiam imploranti: *memento, quod acceperis bona tua in vita tua;*
nihil igitur est, quod amplius in altera vita exspectas, sive terreno-
rum, sive spiritualium, sive cælestium bonorum. *Sua acceperat bona,*
quæ unice desiderabat, & quærebat, fluxa, caduca, & damnosa: su-
perna vero nec petebat, nec volebat serio; quia media, assequendi
illa, à Mose & Prophetis ostensa, superbe & proterve contemnebat.
His igitur iuste carebit perpetuo, & pro gratiosa ac hilari Dei facie,
atros dæmones, sulphur, ignem & flammam videt & sentit. Priva-
buntur autem simul damnati beatorum Angelorum & sanctorum cœ-
litum consortio jucundo eorumque auxilio & solatio; quia *hiatus*
ingens est firmatus, qui obstat, quo minus illi ad horum societatem
transire, aut hi illis adesse possint vel gutta aquæ. *Pœna sensus, quàm*
vocant, varia rursus & multiplex est, ac interna pariter atque exter-
na mala complectitur. Ad illa referimus omnes exquisitissimos dolo-
res & cruciatus, indicatos verbis *ὀδυνημαί & βασανοί*, item conscien-

2. quoad
pœnam
sensus.

tiz

eiæ vermem Esa. LXVI. 24. Ad hæc, *ignis flammam*. August. de Civ. Dei L. XXI. Cap. IX. frustra hic disputat, an vermis & ignis ad animæ vel corporis pœnas pertineat? Nos ad utrumque referimus. An diaboli etiam vel nunc sint vel futuri damnatorum tortores & carnifices, Judæi & multi Christiani affirmant, moti Matth. XVIII. 34. alii negant, cum dæmones, licet vivos nunc divexent & crucient, tamen iudicii universalis tempore ipsi sint torquendi, Luc. VIII. 31. Vid. D. *Dannhauer*. Hodol. Phæn. XII. fin. & D. *Scherz*. Syst. Theol. L. XXIV. §. 8. Quemadmodum autem anima & corpus pœnis subjacent: ita quoque illius facultates & hujus sensus omnes, immo membra singula, si quis ea stiterit arma injustitiæ peccato, (Rom. VI. 13.) pœnam sentient sempiternam, præclare docente *Jo. Gersono*, cujus verba nostrates passim allegarunt. Non dubium est, rem ita se habere, & vel epulo id confirmat, quando *lingue aride* mentionem facit: eadem quippe ratio est ceterorum membrorum & sensuum; quia omnibus haud dubie peccavit, Mosen & Prophetas non audit, bonum verbum Dei non gustavit, opera Dei non vidit, nec consideravit, vino ita obrutus, daß er von seinen Sinnen nichts wußte &c. Quanto magis ergo homo hic sibi indulserit, carni que suæ obsecutus fuerit, tanto postea graviores pœnas luet, tantoque copiosorem materiam sibi ad arandum congeret. Vid. *Kompis*. de Imit. Christ. L. I. Cap. XXIV.

VII.

Ex his omnibus constare utcumque potest, ac debet, ignem infernalem, ac univèrse statum damnatorum, non fictum, nec pictum; sed verum, vereque horrendum esse, cum quo si conferantur omnes ignes omnesque pœnæ hujus mundi, sunt tantum ignis pictus, ut non nemo veterum dixit. *Lactantius* L. VII. Instit. Cap. XXI. de eo erudite & pie differit hunc in modum: *Natura ignis sempiterni diversa est ab hoc nostro, quo ad vitæ necessaria utimur, qui nisi alicujus materiæ fomite alatur, exinguitur. At ille divinus per seipsum semper vivit, at viget sine ullis alimentis; nec admistum habet fumum; sed est purus, ac liquidus, & in aqua modum fluidus. Non enim vi aliqua sursum versus urgetur, sicut noster; quem tabes terreni corporis, qua tenetur, & fumus intermistus exilire cogit, & ad caelestem naturam cum trepidatione mobili subvolare. Idem igitur divinus ignis una, eademque vi,*
atque

Ea gravitas
uberius
explicatur.

atque potentia & cremabit impios, & recreabit; & quantum à corporibus absumet; tantum reponet; ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit. Quod Poeta in vulturem Turpi transtulerunt: ita sine ullo viscentium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet. Similia habent alii Patres, aliis allegati. Ac ne quis talia Poëtarum esse putet, idem *Lactantius* sequenti mox capite cavit, quando monuit, eos rem leviter auditam in modum commentitiæ fabulæ prodidisse: & quamvis veritatis arcana in parte corruperint; tamen ipsam rem eo veriolem inveniri, quod cum prophetis in parte consentiant: idque nobis ad probationem rei satis esse. Habemus *Mosen* & *Prophetas*, *Christum* & *Apostolos*, quos audire quibusque credere par est, ni irreparabili ac æterno cum damno experiri velimus, quod negamus. *Sociniani* Ethnicis hic peiores sunt, quando contra disertam literam *Scripturæ* S. 2. *Thess.* 1. 6. 8. 9. negant, divina justitiæ convenire, impios propter temporaria peccata æternum punire. *D. Augustinus* de C. D. L. XXI. Cap. 12. & 12. de hoc argumento disputavit, ac inter alia respondit: *pœnam æternam ideo duram & injustam videri sensibus humanis, quia in hac infirmitate moribundorum sensuum desit ille sensus altissima purissimaque sapientia, quo sentiri possit, quantum nefas in illa prima prævaricatione commissum sit.* Si vero propter primam primorum parentum transgressionem & peccatum originale homo jurè reus sit æternæ damnationis: quid de tot peccatis actualibus commissis dicendum erit? Infinita enim justitia Dei læditur per peccata; ideoque etiam infinita pœna sustineri debet. Pulchre *Bernhardus* Epist. CCLIII. ob hoc procul dubio inflexibilis & obstinata mentis punitur æternaliter malum, licet temporaliter perpetratum; quia quod breve fuit tempore vel opere, longum esse constat in pertinaci voluntate: ita ut si nunquam moreretur, nunquam velle peccare desineret, imo semper vivere vellet, ut semper peccare posset. Proinde potest & de isto per contrarium itidem dici: consummatus in brevi, explevit tempora multa, quod merito multorum, imo omnium temporum vicem receperit, qui nullo tempore voluerit mutare intentionem. Verum de his aliisque, quæ ob breviter prætermittere necesse fuit, alias plura.

—S (O) S—




76 4688

X 2284585

MS







Farbkarte #13

B.I.G.

IN NOMINE IESU CHRISTI,
omnis felicitatis ac divitiarum spiritualium Recuperatoris
infernique Subactoris,

Ex
THEOLOGIAE EVANGELICAE
parte III. Dissertationem Primam,
Pericopæ Dom. I. post Trinitat.
partem priorem,

scil.
**INFELICEM DIVITIS
FELICITATEM,**

neq. non
Locum inde erutum
De
**INFERNO SEU MORTE
ÆTERNA**

sistentem,
PRÆSIDE
RECTORE MAGNIFICO,
DN. IO. HENRICO MAIO,

S. S. Th. D. & Prof. Publ. Ord. longe celeberrimo, Ecclesiarum
Alsfeldensis & Marpurgo-Darmstadini districtus Superintendente vigilan-
tissimo, Assessore Consistorii gravissimo, Stipendiatorum
Ephoro & Pædagogiarcha meritissimo,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ac HOSPITE suo
omni venerationis cultu prosequendo,
Excell. Dn. Profefs. ac Clarifs. Dn. Commiliton. examini subji-
ciet
in acroaterio Theologico.
die XIII Augusti hora IX. antemer.
Anno M DCC XIV.

M. JOHANNES LEONHARDUS FROEREISEN,
ARGENTORATENSIS.

GIESSÆ, typis Johannis Mülleri.